

6.

EX THEOLOGIA NATURALI
De
NOMINE DEI,

SUB
PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,
DNI. CHRISTIANI DONATI,
LOG. AC MET. PROF. PUBL. h. t. ACAD.
RECTORIS,

Disputabit publice

M. JOHANNES ALBRICHIUS,
Coronensis Transylvanus,

D. 20. Aug. Anno cIo Ioc LXXXIV.

Horis locoq: consuetis.

WITTEBERGÆ.

Ex Officinâ BRÜNINGIANA Vidua.

40.

a. XXVII. 35.

Coll. diss. A
27, 35



§. I.

ANtequam nempe quicquam de Deo susciperetur tradendum; conveniebat de *Nomine, appellatione*q; ipsius aliquid præfari; ut ne circa illud hæere quisquam temere, aut ad ipsam rem capiendam animum minus habere possit præparatum.

§. 2. Ut igitur ab ipso nomine DEUS, quo, ceu sibi proprio, venire communissime omnium rem tractandam, nemini non constat, ordiar: id, tametsi primitivum esse possit; plerisq; tamen, nec abs re quidem, ex Græco Θεός, ejusdem cum illo significationis vocabulo (litera aspirata cum tenui, & vocali o cum u permutata) originem traxisse creditur.

§. 3. Idemq; illud Græcum Θεός, uti pro derivativo rursus putatur, ita quibusdam ab αἰθερ, hoc est ardere; aliis à θεειν, id est currere; nonnullis à nomine δέος, quod idem atq; timor, metus; quibusdam à θεωρεειν, quod est contemplari; compluribus autem à θεᾶδῆ, quod est videre, ac tueri, deducitur. Quarum notationum ultima cæteris merito antefertur. Adeo ut juxta eandem vox Θεός, atq; Deus tale ens notet, quod (Gregorio Nysseno interprete in Tract. Quod non sint tres dii,) *omnia inspicit, omnia intuetur, cogitationes videns, & usq; ad ea, quæ spectari non possunt, contemplatrice virtute penetrans.*

§. 4. Illud autem vix (nisi ex methodi vulgo receptæ tenore) opus fuerit annotare: Dei vocem hic non in *abusivo* eo *significatu* accipi, quo alias & gentilium idolis fuit tributa; nec in *improprio*, ac *metaphorico* illo, quo vel Scriptura S. magistratus, ceu Dei in his terris vicarios, vel alii scriptores eos, qui propter virtutem ac merita Dei instar quibusdam coluntur, aut veneratione summa digni habentur, nomine isto divino dignantur, ac certa ratione Deos appellant; sed in *proprio*, ac *genuino* eo, quo ens illud supremum atq; æternum infert, quo totum hoc universum, & quicquid ambitu illius continetur, olim est profectum. In quo significatu ultimo vocatur alias distinctionis gratia *verus, & naturalis*, ac *singularis* ille, ut & *magnus*, ac *summus Deus*; quemadmodum in primo, *Deus putativus*, item *fictivus*, ac *commentitius*; & in medio, *nuncupativus*.

§. 5.



§. 5. Estq; nomen istud Dei, *nomen substantiæ*, seu *naturæ*: non quod rationem aut speciem substantiæ, ac naturæ divinæ exprimat; sed quod ipsam Dei substantiam, ac naturam (prout omnia prædicata essentialia subinvolvit) & non saltem aliquam ejus proprietatem, aut operationem, significet, ac tessaræ instar notet. Neq; enim vero satis congruit, quod Patrum non nullis dicitur: vocem Dei ipsam substantiam divinam, sed illius operationem notare. Quippe qui *etymon* hujus nominis ab ipsa ejus *impositione*, ac *usu recepto* haut satis recte distinguunt. Tametsi enim istud ratione etymi, quod supponitur, aliquam Dei operationem, (seu contemplativam, seu quamcunq; aliam) inferre dubium non sit; constat tamen, id institutum hominibus, ac impositum Deo cum in finem esse, non ut illius aliquam operationem; sed ut ipsammet ejus substantiam significaret: quemadmodum &, quotiescunq; in sermone usurpatur, non pro divina operatione unquam, quin subinde pro illius subjecto, aut principio, ipsaq; adeo divina natura, ac substantia, dicto modo accepta, supponitur. Ut hic merito proinde Theodorus Abucara sit audiendus, qvi Opusc. XXVII. *Nomen Dei*, ait, *à quadam operatione dictum est; non tamen operationem significat: sed naturam operantem: ac in fine demum ita concludit: Natura igitur, inquit, est Deus: & nomen Deus naturæ significandæ vim habet. Nam ut vox homo, ab quadam operatione derivata, non tamen operationem significat, sed naturam, & substantiam. Item anima, & angelus: atq; omnia fere nomina substantiarum ab operatione, vel affectione dicuntur: non tamen operationem, vel affectionem significant: sic in Dei vocabulo intellige: nec aberrando notaciones nominum, & leges Grammaticæ, neglecta regula veritatis, qua multi profitentur uti se, non tamen utuntur. Atq; de voce quidem Dei hæctenus.*

§. 6. Jam vero dantur præterea & nomina Dei alia; eaq; in variis lingvis varia. Ut enim Latina tantum consecrè: vocatur Deus etiam communiter NUMEN, cum absolute, tum cum apposito *divinum*, aut *cæste*, vel *supremum*; eo quod nutu, seu voluntate sua (est enim uti *nutus*, sic *numen à nuò*, quod idem, atq; *volo*) omnia dirigat, atq; gubernet. Id quod nominis rursus *nomen substantiæ* est.

§. 7. *Nomen autem proprietatis*; cum Deus *Ens summum*, aut *Ens omnium supremum*, vel *Ens entium* (uti fit quandoq;) aut *Prima natura* appellatur; ac *potestatis* speciatim, cum DOMINUS, aut REX, vel PRINCEPS, modo simpliciter, modo cum apposito *Dominus Deus*, *Dominus rerum Deus*, *Rex summus*, ac *Princeps summus*, item *Rex Regum*, ac *Domi-*

Dominus dominantium, nec non Rex, atq; Dominus cæli & terræ, & sic porro dicitur.

§. 8. Deniq; *operationis, ac efficientiæ (simulq; adeo & respectiva) nomina sunt; cum Deus passim apud scriptores, profanos pariter, ac præsertim ecclesiasticos, audit Rerum conditor; Opifex rerum; Rerum genitor; Rerum fabricator; Rerum omnium machinator; Rerum pater; Parens & auctor universi; Parens, & constitutor omnium; Auctor rerum, & parens communis; Pater omnium opifexq; Deus machinator, constitutorq; rerum; Summus Deus, ac parens omnium; Deus universi artifex; Summus ille rerum conditor, ac artifex Deus; Rerum omnium parens, ac artifex; Princeps, & origo rerum; Mundi parens, & conditor rerum; Communis parens generis humani; Artifex ille noster, ac parens Deus; Pater Dominus, & origo ac principium rerum; Fons rerum, sator seculorum atq; temporum; Rerum mirabilium fabricator; Parens omnium, atq; Dominus; Rerum cunctarum pater, atq; Dominus; Deus, & pater indulgentissimus; Mundi hujus constitutor, & rector; Rex atq; Dominus, cunctorum quæ sunt, moderator; Omnipotens imperator, constitutor, moderatorq; cunctorum; Præses, dominusq; mundi Deus; Deus & pater indulgentissimus; Arbiter ille summus; aut, Summus rerum arbiter; item Causa prima; Causa universalis; Causa causarum; Primus motor; Fons totius esse, & origo omnis perfectionis; & ita similiter.*

§. 9. Quibus accedunt & ex philosophia gentili quædam obscuriora nomina alia; veluti sunt: *Natura, Fatum, Necessitas, Providentia, & Fortuna.* Quanquam enim multo alius hodie istorum nominum sit significatus; prisca tamen quandoq; ipsummet Deum iisdem appellitasse leguntur. In nempe Deum *Naturam* vocarunt, quod *ex ipso nata sint omnia*; uti Senecæ explicatio habet L. II. Nat. Quæst. cap. XLV. *Fatum*, quod *ab ipso series rerum conferta, inoffensoq; tenore procedens* sit; uti vult auctor L. de Mund. cap. VII. *Necessitatem*, quod *nihil aliter fieri aut esse possit, quam ab eo sit constitutum*; uti Cicero declarat L. I. Acad. Quæst. *Providentiam*, quod *ipsius consilio huic mundo provideatur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet*; ut Seneca loco citato ait: *Fortunam* deniq; quod *efficiat multa improvisa hæc, nec opinata nobis propter obscuritatem, ignorationemq; causarum*, tradente iterum Tullio loco ante allegato. E quibus mansit quidem *Naturæ* nomen in eodem hoc significatu; sed auctum tamen (ad dictam illius vim clarius exprimendam) barbaro quodam additamento, dum *Naturam Naturantem* Deum (in contradistinctione ad *naturam naturatam*, quæ ipsa creatura est) nuncupare consueverunt. Cui abrogando nec suffecerit forsan Lactantii auctoritas, qui cap. XV. L. de Ira Dei, propterea *divinam* veretur *naturam* dicere, quia (ut ait) *Deus noster nunquam creditur natus.*

SOLI DEO GLORIA!

Coll. diss. A. 27, misc. 35